ORATIO

PRO

ACADEMIA ARCHIEPISCOPALI

AD EXPOLITIORES

LATINARUM LITTERARUM DISCIPLINAS PROMOVENDAS

INSTITUTA

CAJETANI BARBATI

ORATIO

NEAPOLI
EX VANNI TYPOGRAPHEO
MDCCCLV

Diu multumque cogitandum mihi non fuit, ecquod potissimum seligerem argumentum, quod in tanto lectissimorum virorum conventu, tot Archiepiscopis, atque Episcopis adstantibus, quibus utriusque Siciliae regnum non immerito gloriatur, et Adolescentioribus, qui in spem Ecclesiae succrescunt, frequentissimis inspectantibus, hodierna die in medium proferrem, nec indignum expectatione vestra, quodque rem ipsam, quam, Deo favente, pertractandam auspicamur, propius attingeret. Enimvero cum Xystus Princeps Eminentissimus saepenumero in animo versaret, quibus sane rationibus humanitatis studia ad culmen et quoddam veluti fastigium proveheret, adeo, ut nostra haec aetas vel felicissimis saeculis nihil prorsus invideret, et res litteraria apud nos majorum gloriam assequeretur, nihil potius ex sapientiae suae judicio sibi praevertendum existimavit, quam ut optimos quosque, maximeque politioribus litteris praestantes arcesseret, paterna bene-

volentia foveret, quibus in congressu litterario constabiliendo potissimum uteretur. Hi vero statis diebus nonnihil a se lucubratum, quod succum nempe illum Augustaei saeculi scriptorum, et sanguinem incorruptum exprimeret, cuique naturalis veluti, non fucatus nitor inesset, in vulgum per vices edendo, quantum in ipsis esset, tanti Principis voluntatibus obsequerentur. Neque id satis habere ratus est; verum, quo in hunc coetum selectissimum cooptati, tamquam adhibito calcari, susceptum curriculum alacrius decurrerent, Ipse, Ipse, inquam, totius rei rationi praeesse voluit, eo mentis consilio, ut se non ducem, sed comitem, non arbitrum et moderatorem, sed hortatorem, ac laborum consortem exhiberet. Hinc vos perspicitis, Auditores, nihil rei litterariae, nihil neapolitanae Ecclesiae melius, felicius, ac fortunatius posse contingere, quam in hac latinarum litterarum barbarie, tantaque opinionum, quae plerosque transversos egerunt, colluvie, latinam linguam, qua catholica Ecclesia a primis suis incunabulis usa est, ad pristinum splendorem revocare. Nec meam sententiam vobis improbatum iri confido, si, quod ad rem nostram spectare quam maxime videtur, quanta ex academicis congressibus institutis gloria bene temperatis civitatibus redundaverit, quamque uberrimos hinc universum hominum genus fructus perceperit, demonstrandum aggrediar. Quo sane argumento nihil ad hujuscemodi institutionem magis accommodatum esse videtur. Quare illud vos oro, atque obtestor, Auditores, ut qua polletis humanitate benignas mihi aures praebeatis, quorum maxime interest rem plausibus ex-

cipere, favore amplificare, industria fovere; si quid vero occurrat, quod minime ex sententia vestra succedat, quin inusta temeritatis nota mihi succenseatis, oratoris infantiae potius condonetis.

Numquam certe veterum sapientia satis digne poterit commendari, quorum consilio factum est, ut academici conventus instituerentur. Quam profecto rem si pro merito nobis pervadere mens et ratio suaserint, procul dubio comperimus, ea de causa esse institutos, ut re et scriptis, verbo et sententia caput quisque conferret suum, atque aemulatione perbelle firmata ad maxima quaeque audenda, tamquam adjectis stimulis vehementius excitaretur; cum praesertim non modo nunquam sit aut alterius ab altero cursus impeditus, sed contra alter ab altero adjutus et communicando, et monendo, et fovendo. Ita fit, ut cuique rimanti, quaeritanti, singula non cursim ad trutinam revocanti, sed pro eo atque par est rem altius pervadenti, illa praeclarissima facinora edantur, per quae immortalem adsequi gloriam detur, eosque uberrimos parere fructus, quos seri nepotes in accepti beneficii memoriam litteris monumentisque commendabunt. Hinc passim cernimus, nullam fuisse gentem, nullum hominum coetum vel in ipso conditi orbis exordio, quin, amandata barbarie, virorum conventum colligendum curaverit, qui, si quid in ipsis inesset virtutis, in id incumberent, ut institutis, legibus, disciplinis patriam rem constabilirent, et politiorum, severiorumque invecto litterarum cultu, rusticitas, ac sylvestris vivendi ratio disjiceretur. Quod certius atque explora-

tius est, quam monitore indigeat. Enimvero si in veterrimis annalium monumentis deprehendimus, Aegyptum matrem universarum artium audivisse adeo, ut ipse sapientissimus Hebraeorum legislator Moses omnes Aegyptiorum scientias adprime calluerit, non aliis, quam Magorum collegiis acceptum referendum esse videtur. Illi enim nullum praeterire sinebant diem, quin tamquam in sua porticu inambulantes, modo abstrusas rerum causas pertractantes, modo admirandos quosdam effectus enucleantes, modo adversas iisdem de rebus opiniones vel componentes, vel exsibilantes, decertando, excutiendo, non hariolorum more, sed directione rationis ad veritatem ea conjecturis adsequebantur, ut plerumque ipsorum sententiis nihil adjici, nihil detrahi posse videretur. Quid de Graecia dicam, ubi Musae atque ipsa Sapientia sedem ac domicilium fixisse quodammodo visae sunt? Idipsum profecto, Auditores, non semel, sed iterum Aegypto debere certum est atque exploratum. Revocate in mentem turbulentissimam illam renascentium bellorum tempestatem, cum, Alexandro Magno in medio victoriarum cursu vita functo, magni inter eos, qui ipsi succederent, tumultus, et gravia bella excitata sunt; cumque nullum in toto imperio litteratis hominibus pateret perfugium, Graecia exulantes sola Alexandria, tamquam in tuto portu, suo gremio excepit. Quid vero dicam, quod Ptolomaeo Caeergete regnante, cum optimi quiquo ab immanissimi praedonis cruciatibus, cujus crudelitate partim caesi sunt, partim vero in exilium acti, prorsus abhorrerent, aliis alio discedentibus, totius Graeciae in-

sulas, urbes, oppida omnibus disciplinis repleverunt? Quibus sane rebus vel leviter perspectis, ecquemnam praeterit, modo a limine, ut ajunt, historias salutarit, tradita a longinquis sapientia, tantam sibi Graeciam comparasse gloriam, omnigenaque doctrina brevi excrevisse, ut nulla gens, nulla natio vel temporibus beatissimis nedum illam vincere, sed ne cum illa quidem posset comparari? Certe in illa non defuerunt maxima virtutis incitamenta, quibus nimirum adhibitis in Pithiis, Nemaeis, Isthmicis, Olympicisque certaminibus nimium quantum ad aemulationem excitandam, comparandamve gloriam valuerunt. At tollantur vel paulisper e medio philosophorum conventus; sileat Stoa, Pecile, Gymnasium, Schola, sileat Porticus, Lycaeum, Academia, quid amplius superest in illa universi terrarum orbis litterarum ac scientiarum domicilio? quid de ipsis Athenis dicam, Auditores? Quae cum ita se habeant, illud confiteamur necesse est, non Lycurgi, non Charondae legibus, non ludis ac certaminibus, non ipsis imperatoribus, quorum invicta virtus ad Plateas, Thermopilas, Marathonam adversus ingentes barbarorum copias potissimum emicuit; sed philosophorum congressibus partam sibi gloriam Graeciam debere. Excipite vero, si lubet, e philosophorum grege unum Platonem, quod Graeciae reliquum gloriae erit? Quid ceterae philosophorum familiae agant, quo se se vertant, Auditores? Andabatarum more inter se obligatis oculis digladiantes tanta opinionum varietate, tanta hominum dissensione, quin aliquid afferrent emolumenti, transversas agerent mentes, atque in hominum societatem perniciem sane

2

ac detrimentum importarent. Platoni igitur Graecia totam, quanta est, acceptam gloriam refert. Hic enimvero, non ut plerumque fit, pluteo adsidens magna verborum copia, obducto supercilio, abstrusis argumentationum ambagibus adolescentes velut inter orci cancros irretitos rapiebat, et quasi in incognitam prorsus regionem delatos in ipso rerum vestibulo haerere, restitare, nihil denique eorum, quae audierant, intelligere patiebatur; sed quantus vir divina qua pollebat dicendi facultate ea quidem tradebat, quibus aluntur ingenia, firmatur judicium, animi vires augentur, scitissimeque ad omnia comparantur. Plato enim in herois Academi hortis philosophico congressu instituto, inambulando, amice colloquendo, discipulorum stipatus frequentia, tantam sapientiae vim illorum mentibus afflabat, ut e viri colloquio nemo non melior sapientiorque discederet. Cujus certe sapientia tantam apud omnes sui admirationem excitavit, ut divinus audierit, et habitus sit; de quo ipse Romanae eloquentiae pater asserere non dubitavit, se mehercule errare cum Platone velle, quam cum aliis vera sentire. Athenae igitur ex Academicis ambulationibus discedere Speusippum, Xenocratem, Arcesilam, Crantorem, imprimisque Aristotelem, ac Demosthenem suspexere, qnos omnes nactus discipulos Plato, non Graeciam tantum, non Europam, sed universum terrarum orbem collustravit. Quamquam vero complures erant Athenis philosophorum scholae, quarum nomina, earumque conditores vel summatim dumtaxat recensentem latera, ac dies, deficerent; illud tamen tacitus praeterire non possum, omnes ad unum veluti rivulos e recon-

ditis Academiae scatebris hausisse. At e Greciae finibus tandem excedere visa est sapientia, et Romanos ipsos ex Romuli legibus, atque Anci Martii praescriptis efferatos, tot tantisque bellis cum populis ac regibus potentissimis per ipsos sexcentos annos ferociter depugnatis, sanguine ac caede madentes, ad cultum, mitesque mores mansuefactos revocavit. Quamobrem latum unguem a veritate videtur non deflexisse, qui ad illud tempus spectans, quo jam subacta Achaja, atque incendio absumpta fuerat Corinthus, memoriae prodidit, elegantiam, et carminis concinnitatem, nec non ceterarum artium splendorem a Graecis in Italiam fuisse illatum, qui a Romanis devicti victores ipsos quodammodo devicerunt, eorumque inscitiam ac barbariem expugnarunt. Romani vero, tam magni nominis Praeceptorum vestigiis acriter insistentes, non minorem sibi gloriam pepererunt. At ecquis adsequi dicendo poterit quantum tradita semel a Graecis sapientia profecerint, quantoque in honore apud eos habiti sint conventus academici? Jam coenacula non helluones, ac temulentos, non homines ciborum suavitate illectos, ac genio indulgentes excipiebant; sed fortissimos, doctissimosque viros, qui tempestivis conviviis non de privatis temere, ut assolet, rebus, non de philosophia, deque humaniorum disciplinarum studiis tantummodo disserebant; sed de religione, de sacris, de bellis incundis, de foederibus sanciendis, de legatis mittendis, de imperio suscipiendo; ad summam, ut paucis omnia complectar, de maximis publicae rei belli domique gerendis negotiis capita conferebant. Ipsa rura, quorum celeberrima Cu-

mis, Bajis, Puteolis, Tusculo, Pompejis erant, rura inquam, quo curis forensibus expediti velut ex alto in portum invecti, otii captandi causa identidem concedebant, nonne academicorum celebrata conventibus esse accepimus, ubi ad platanorum umbram modo per intertextas opere topiario ambulationes, modo per xystos discurrentes, modo eodem in spatio considentes, Graecorum more consilia de gravissimis rebus inibant? Ibi enim tamquam si in ipsis Academi hortis aut considerent, aut inambularent, res partiebantur, definiebant, ambigui portiones dividebant, et argumentorum locos nosse studebant. Tum vera a falsis, ab incredibilibus verisimilia dijudicare, et distinguere, et male conclusa reprehendere; eadem vero vel anguste disserere, ut mos dialecticorum est, vel, ut oratorem decet, late exprimere, et apta, concinnaque verborum compositione, unde gratus quidam ad aures explendas resultat concentus, rem totam studio et arte complecti. Hinc, ut aliud ex alio, apud nos Metapontinam, Heracleensem, Crotoniensem Academiam prodire majores nostri suspexerunt, et Eretriacam in tota Euboea perillustrem, Rhodiumque Gymnasium praestantium virorum frequentia, ac splendore post homines natos celebratissimum. Quodsi virtutem sequitur gloria, quam a sapientissimis cruditissimisque viris accepimus, illustrem esse, ac pervagatam multorum, ac magnorum vel in suos, vel in patriam, vel in universum hominum genus famam meritorum; ecquis inficias iverit, Auditores, Graecos perinde atque Romanos Academicis conventibus debere, quam posteritati gloriam tra-

diderunt? Sed jam ad illa tempora devenimus, cum confertissima barbarorum examina ex inhospitis gelidi septemtrionis emersa latibulis Italiae incubuere, et Romano Imperio ferro flammaque vastato, reliquas provincias insederunt. Ut florentissimas hasce regiones pervaserunt, nescio quo fato misero, funestoque compulsi humanitatis studia, et severiores disciplinas non elanguere, aut ombutescere, sed extinctas, miserrimeque consepultas Itali indoluerunt. Plura erant dilapsa saecula, et pristinae sapientiae, cultusque litterarum ne vestigia quidem manebant; et tot, tamque ingentium voluminum, quae principum munificentia, et industria privatorum undequaque colligenda curaverat, vix in pulverulentis Casini montis bibliothecae forulis pauca supererant. Nec nisi longam post temporis intercapedinem singulari Dei providentia factum est, ut humaniores artes renatas, ac veluti e cineribus excitas suspexerit Italia. Disjectis tandem aliquando barbariae tenebris, litterae coli coeptae sunt, atque Italorum opera in alias passim illatae regiones, vehementissimos in hominum animis igniculos extemplo excitarunt, et ceteras omnes disciplinas ab interitu ad vitam atque incolumitatem revocarunt. Hinc e vestigio litteratorum conventus in celeberrimis sunt urbibus Italiae instituti, Bononiae, Pisis, Florentiae, Romae, Venetiis, Neapoli, ex quibus perinde atque ex equo Trojano invictissimi Graecorum duces prodire visi sunt, qui Ilium funditus exciderunt. Verba mihi non suppetunt, Auditores, quibus significem, quantam apud omnes exciverint aestimationem, quan-

tamque famae celebritatem, qui in illos coetus amplissimos cooptati sunt, ut Italia jure ac merito populorum parens ac magistra vulgo appellaretur. Deus immortalis! Quae repente tam magna rerum conversio! Qui tributus litteris honor! Quae tanta Theologicis scientiis comparata majestas! Ecquod partum decus philosophicis, physicis, ac mathematicis disciplinis! quae sacrae, civilique jurisprudentiae accessit gloria! Sic deterso squallore, elutisque sordibus, ubique terrarum inducta est quaedam facies honestissima.

Atque hinc amplissima mihi argumentorum seges oboritur, quibus ostendam, quam uberrimi fructus ex academicorum conventuum institutione in hominum societatem passim dimanarint. Ut vero altius, quam par est, initium sumatur, sinite me, Auditores, indidem haurire, unde homines, sicut poetae fabulati sunt, relictis latibulis, neglectis glandibus, et more belluarum, despecta vivendi ratione, caedem ac sanguinem crepantibus buccis inhiantium, in societatem coiverunt. Siquidem vel hinc in primis mutuus civium amor exortus, hinc praesidium alterius alteri praebitum, hinc eloquii cultus. Quid plura? Hinc artium, ac litterarum disciplinas, hinc jura et leges, hinc religionem, fidem, sacra, delubra repetenda, necesse est, fateamur. Quae cum ita sint, Auditores, ut rem nostram propius contingamus, quid Academiis constabilitis in ipso vestibulo mentis aciem perstringit paulisper intuemur. Cernere quidem illic licebit delectos viros, quorum alii in litteras humaniores, in severiores alii disciplinas sese abdiderunt; hic vero egregia spe juvenes, qui majorum ex-

empiis ac doctrina inflammati ad praeclara audenda facinora provehuntur; unde poesis praestantia, eloquentiae splendor, philosophiae dignitas, tantaque ceterarum omnium doctrinarum amplitudo, ut eruditissimum quemque in sui admirationem raperent. Ac ne a proposito discedamus, in id parumper animum intendite, auditores. Cur prae reliquis Graeciae urbibus tantam sibi apud omnes aestimationem, tantamque celebritatem Athenae exciverunt, ipsis utique Thebis, Delphis, Mycenis posthabitis, fama ceteroqui celebratissimis, ut e remotissimis regionibus, illuc tamquam in Musarum domicilium litterarum cultores commigrarent? Aerisne, et caeli clementia, an collium amoenitate illecti, templorum magnificentia capti, egregiisque operibus, quae pingendo, exsculpendo Zeusis, Apelles, Phidias, Parrhasius, Scopas ad suum fastigium perduxerunt, quodammodo abrepti, illuc contendebant? Nimium quantum a veritate abesse videmur, quoties in animum non inducamus, Auditores, non alia id fecisse de causa, quam scholarum et litteratorum hominum frequentia, ac nomine esse adductos, quibus illae prae caeteris omnibus Graeciae urbibus inclaruerunt. Illic enim vivida praesto erant exempla, quibus veluti in irriguo horto ad scientias juventus educabatur: quibus sane ducibus vividiori proposito exempiari, ea quisque addiscebat, ad quae suapte natura comparatus videbatur. Et quidem ab Isocrate addiscebat suavitatem, a Lisia subtilitatem, acumen ab Hyperide, sonum ab Heschine, a Demostheno vim et robur orationis. Unde inclyta Roma tantis philosophorum praeceptis locupletatum,

tanta eloquentiae vi, ac verborum concinnitate praeditum Marcum Tullium intra sua moenia nisi reducem conspexit Athenis? Hic enimvero fateri non dedignabatur, se oratorem non e rhetorum officinis, sed ex academicis spatiis extitisse. Illa enim erant curricula multiplicium ac variorum sermonum, ubi Platonis primum impressa sunt vestigia; sed et hujus, aliorumque philosophorum disputationibus et exagitatus maxime orator erat, atque adjutus. Omnis scilicet ubertas, et quasi sylva dicendi, omnis gravitas, omnis concinnitas ducta ab illis erat. Quid vero dicam, quod constabilita inter ipsos Academicos aemulatione ad praeclarissima quaeque audenda, acriori quodam velut impetu, unusquisque rapiebatur? O aemulatio vitae dux, et magistra! Tu ad virtutem assequendam munitiorem sternis viam, et vitiorum segetem radicitus evellis! Te duce adeuntur pericula, suscipiuntur labores, atque egregia eduntur facinora; nullumque sine te et honoris, et dignitatis, et gloriae potest esse certamen. Quid enim tam magnum fecit Alexandrum, nisi Achillis invicta virtus? Quid Julium Caesarem, nisi ipse Alexander? Quid Themistoclem, nisi Miltiadis trophaeum? Ita profecto sumus natura comparati, ut aliorum exemplis, et sermonibus, quasi in aliquod contentionis judicium vocamur, eorumque vestigiis insistendi ardor vehementius excitatur. Quare nemini mirandum esse debet, si tot, tamque ingentia volumina et tam magna reconditarum rerum doctrina undequaque scatentia in vulgum prodiere, ut nihil sit quod adjici, nihil quod detrahi posse videatur, sedulaque admiretur posteritas. Quapropter re-

rum initia, et causae; quomodo quidque gignatur, quoque modo intereat; tum nimborum, fulminum, ac tempestatum causas; atque ita deinceps corporum coelestium magnitudines, cursus, progressiones; tandem animorum vim, ac sensuum rationem; ad summam adeo abstrusas naturae vires ingeniorum ope perscrutati sunt, nulla ut pars caelo, terra, marique sit praetermissa. Quid vero, quod non disserendi, atque e sophistarum tricis veritatem expediendi causa dumtaxat constitutas Academias, sed morum reapse et colendae virtutis gymnasia quandoque evasisse accepimus? Reducite vobis in mentem, Auditores, Polemonem illum Atheniensem perditae luxuriae adolescentem, qui cum e convivio domum sese reciperet, Xenocratis philosophi apertam conspexit domum, et, ut vino madidus erat, unguentis delibutus, sertis capite redimito, refertam turba doctorum hominum ejus scholam ingressus est. Illico exorta omnium indignatione, Xenocrates ab iis rebus, de quibus disserebat, digressus, de modestia et temperantia loqui occoepit. Quid plura? tanta orationis gravitate commotus adolescens, coronam capiti detractam projecit, fasciolas, cubital, focalia deposuit, et brachio intra pallium reducto, totam denique luxuriem resipiscens exuit. Sic unius oratione, tamquam praesentissimo remedio ad meliorem frugem revocatus ex infami ganeone egregius philosophus factus est. Ecquis enim vel ex hoc uno exemplio non videt, philosophorum congressus apud Graecos non ad erudiendam modo juventutem, verum etiam ad fingendos mores, et ad virtutem informandam fuisse institutos? Quae vir-

tutis semina in tenellulis juvenculorum animis semel insita mirificos pariunt fructus! Quapropter illa omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet, eaque despiciens casus humanos contemnit; culpaque omni carens, praeter ipsam nihil sentit ad se pertinere. Hinc exortam cernimus illam animi fortitudinem, qua quis veluti munitus clypeo pectus omnes corporis cruciatus, omnia pericula mortis atque exilii prae honestate nihili ducebat; hinc in patriam et cives caritatem admiramur, pro quorum incolumitate ac fortunis labores suscipere, et maximis vitae discriminibus caput objectare nihil pensi habebat. Piaculum vero est, Auditores, illud silentio praeterire, quod ubi lux Evangelii, depulsa errorum caligine, animis hominum affulsit, Academici conventus apud Christianos religionis tuendae gymnasia, atque evangelicae veritatis propugnandae palestrae prorsus evaserunt.

Quapropter vel imprimis laudanda est Byzantina, quae Magnum Basilium, et Caesariensis, quae Chrysostomum et Nazianzenum eductos, atque eruditos ad catholicum orbem collustrandum, atque haereses profligandas pietate, ac doctrina clarissimos miserunt. Et quidem illa tempestate, cum impius Julianus ab Ecclesiae signis descivisset, non ut antea ferro ac flammis christianam religionem adoriri, sed per technas et cuniculos excindere, atque ab universo terrarum orbe funditus exterminare nitebatur. Nihil illi Patres sanctissimi aegrius tulerunt, quam ipsius Imperatoris edictum, quo juventus christiana a litterarum ludis atque academicis arcebatur congressionibus eo perversae mentis consilio, ut, juventute ad

barbariem ablegata, sensim ac sine sensu ad impietatem dilaberetur. Quare nihil sibi reliquum fecerunt, quo minus adolescentuli ab antiqua studiorum ratione absterreri paterentur; et verbo, et scriptis, atque omni opum vi tyrannum immanissimum de sententia deterrere contenderunt. Sed cur ego nimis antiqua commemorem? Quid vetera conquiram, cum ex recentioribus atque ab ipsa Italia petitis uti liceat exemplis? Jamdudum Italicae regiones litterarum, perinde atque scientiarum sedes ac domicilium evaserunt; et si quid est, quod exterae gentes invideant nobis, certe quidem nomina praeclarissima tot virorum sunt, qui vel poesim colentes, vel philosophicis ac mathematicis rebus studentes, aut reconditis naturae mysteriis sedulo incumbentes, aut dogmaticas disciplinas perscrutantes nomen sibi pepererunt nullo umquam tempore interiturum. Dies et latera me quidem deficerent, Auditores, si tot in lucem edita volumina vel summatim recensere, quibus elucubrandis Itali passim incubuerunt, eorumque nomina ad unum omnia laudibus prosequi vellem. Deus immortalis! Quam exquisita in rebus inveniendis scientia; quae in vestigàndis subtilitas; quanta in dicendo suavitas, vis, gravitas! Circumspicite, quaeso, paulisper Italiam. Quot tabellae vividis ac pene spirantibus expressae coloribus; quot hinc atque illinc positae ex marmore insculptae imagines; quot templa architectonicae artis miracula quaqueversus oculorum aciem perstringunt! Revocetur ad trutinam ex innumeris, quibus affatim Italia scatet, quilibet poe-

sis libellus, sive heroum gesta describens, sive mores hominum corruptos carpens, seu vita functorum desiderium luctu prosequens, sive ipsos dithyrambos omni lege solutos per insitata verba audaci stylo effundens, ecquid in ipsis est, quod Graecorum concinnitati, aut Latinorum cedit gravitati? Quare hoc, Auditores? Omnia medius fidius praeclarissima haec ingenii, atque artis opera, aut saltem magna ex parte accepta Academicis sunt referenda congressibus, quorum amplius septuaginta pro tempore instituti sunt, quibus, nisi mea me fallit opinio, debet Italia, ut totius Europae parens ac magistra audiret, eique tantum semper tribuerit, quantum sedulo ac vigilantissimo praeceptori discipuli amantissimi solent in grati animi significationem. Quibus sane rebus perspectis, Auditores, cum per turbulentissimorum temporum vicissitudines latinarum litterarum studia, atque omnis prorsus ardor oblanguere in hac florentissima Archidioecesi non sine maximo Ecclesiastici decoris detrimento videretur; et litterati homines, quorum numerus non multis abhinc annis apud nos increbrescebat, jam redacti ad paucos, haud diu multumque cogitavit Xystus Riarius S.R. Ecclesiae Cardinalis quibus omnino rationibus fieri posset, ut hujuscemodi studia pristinum nitorem recuperarent, novumque decus inducerent. Quamobrem quod numquam alias, Academiam latialis sermonis studio, atque ardori fovendo unice addictam de integro constabilitam voluit, in quam optimus quisque cooptatus praeclara ingenii sui specimina edendo, et adolescentioribus mu-

nitiorem viam sternendo litterarum, ac scientiarum splendorem amplificarent; et Neapolitana Dioecesis Ecclesiasticae militiae adscriptos recenseret, qui primaevam Ecclesiae linguam colentes ab audaci quidlibet scribendi, aut effutiendi licentia vindicarent. Vestra igitur, Viri Amplissimi, quam maxime referre videtur, Archiepiscopi vigilantissimi voluntatibus industria ac sedulitate obsequi. Quicquid vero in vobis ingenii, solertiae, studii, ac laboris inest, in id potissimum collocetis oportet, ut Sanctissimam Christi Religionem ab infensissimis profligatorum hominum aggressionibus acriter prohibeatis, et putida illa quidem, atque a veritate prorsus abhorrentia nebulonum commenta, quibus ipsi ad omnia flagitiorum genera impunitam sibi libertatem persuadent, quantum in vobis est, disjicere contendatis. Postulat id a vobis sacrosancta Mater Ecclesia, cujus sinu nutriti, atque educti estis. Postulant Episcopi, atque Archiepiscopi, quotquot heic adsunt, quos nulla prorsus de causa a Dioecesibus suis abesse videtis, quam ut Ecclesiae bono consulentes unice inserviant; quorum ope atque consilio omnia quae illa jacere sentit ab impietatis et seditionis impetu perculsa, atque prostrata, excitanda sunt; quaeque dilapsa jam defluxerunt, severioribus disciplinis, legibus, institutis vincienda. Postulat a vobis Xystus Riarius, qui suprema Dei providentia Neapolitanae Ecclesiae datus, vix nostram Dioecesim ingressus est, cum nihil potius, nihil antiquius sibi habendum esse existimavit, quam ut juvenes suae curae concrediti litteris addiscendis, scientiisque pleno hau-

stu combibendis, Ecclesiam, fidem, patriam voti compotes efficerent. Tu vero, Princeps Eminentissime, si hujusce Academiae institutione certissimum tuae voluntatis signum sustulisti, noli ab opere suscepto, usque dum perficias, defatigari. Perge, per Deum immortalem, ut coepisti; nomenque tuum commenda immortalitati. Nulla re homines coelestibus accedere propius videntur, quam rebus prudenter ac sapienter gestis, quibus ab auspicatissimo Archiepiscopatus tui exordio animum intendisti. Verum decus in virtute positum est, quae magis magisque illustratur praeclaris in Ecclesiam et studiosam juventutem meritis. Sed quid est, quod oratione mea Te pluribus horter, si laboribus susceptis, si in omnibus rebus operae gnaviter, seduloque navatae, si effusissimae liberalitati tuae pro rei merito commendandae, nulla par esse poterit oratio? Perjucundum tamen mihi est, vel hoc unum munificentiae tuae specimen, si minus digna commendatione, grata saltem commemoratione prosequi, quod de adolescentulorum institutione nimium quantum sollicitus, eorum exercitationibus intersis, progressus explores, diligentiam acuas, et, propositis praemiis, calcar ac stimulos adjicias currentibus. Et si quis umquam laetior visus est vobis dies illucescere, magisque vobis exoptandus, Adolescentes, hic profecto est, cum plerique vestrum praeclare de humanioribus perinde ac severioribus disciplinis meriti, optimis quibusque civitatis, dioecesis, ac totius regni inspectantibus, atque ipso studiorum vestrorum auspice, ac moderatore, praemiis atque

laudationibus exornentur. Agite dum, tanto Pastori gratias agite, majores certe habituri; purpuramque deosculantes alacri pede adeste, suaeque voluntatis praerogativam excipite, majora quippe relaturi, cum per aetatem clariora ingenii vestri specimina edere licuerit.